

20.248

Tuercas á las 3.

Ano 1707. D<sup>r</sup>. Baltazar Balaguer  
y D<sup>r</sup>. Josep Picaro

M.E.C.D. 2010 20.248

LURIS CIVITATIS THINSE

C D S

COLLEGIA CO-ALCOVATRIBA VINCIGVADAS

ACADEM

COLLEGIA CO-ALCOVATRIBA VINCIGVADAS

COLLEGIA CO-ALCOVATRIBA VINCIGVADAS

COLLEGIA CO-ALCOVATRIBA VINCIGVADAS

COLLEGIA CO-ALCOVATRIBA VINCIGVADAS

COLLEGIA CO-

COLLEGIA CO-ALCOVATRIBA VINCIGVADAS

Foll. 20. 248

JURIS CIVILIS THESES  
QUAS  
PUBLICAE CONTROVERSIAE VINDICANDAS  
VOVET  
D. JOCHIMUS FERRANDO ET CANDEL,  
ORCELITANAE UNIVERSITATIS ALUMNUS;  
CUI PRAESES ADERIT  
D. D. FRANCISCUS LOPEZ  
ET PEREZ,  
DIGEST. CATHED. PROPRIETARIUS MODERATOR.

*Locus Certaminis ejusdem Universitatis  
Palaestra.*

DIE MENSIS MAI ANNI MDCCXCIII.

ORIOLAE:

Ex Officina Antonii Santa Maria.

R. 20. 248



SANTISSIMAE VIRGINI  
EIDEMQUE DEI PARENTI  
QUAE  
SUB SALUTIS INVOCATIONE  
ELDAE  
MAGNI EST APUD FIDELES.

HAS IN AMORIS , PIETATIS , ET GRATITUDINIS  
TESTIMONIUM JURIDICAS THESES

*D. O. C. Q.*

*D. JOCHIMUS FERRANDO ET CANDEL,*  
J. C. STUDIOSUS.

**A**deo omnium nostrum mentibus be-  
neficia tua incederunt PISSIMA SALUTIS  
**MATER**, ut nec diuturnitate intercedendi  
memoria , nec perditorum hominum  
concilis nostrae gratitudini minus pro-  
bata esse non possint. Supra caetera  
enim quibus me , meosque eternum de-  
vinxisti , quaeque ut Tibi has consecra-

rem Theses impulere , minimum caen-  
seri non debet , quod ibi primam aspe-  
xerim lucem , ubi mihi , meisque popu-  
laribus eas suppetias , auxiliumque sem-  
per atuleris , quae ultra cuiuspiam fidem  
procedere nullo credam negotio . ¿ In  
quem enim quandoque ingruit , sive mi-  
sera calamitas , sive dura pauperies , ut  
praesentissimam tui opem non fuerit  
illico periclitatus ? ¿ Cuinam ad incitas  
moeroris redacto non cito subvenisti ,  
modo se Tibi totum concrederet ? Haec  
prespecta penitus cum habeam , non po-  
tui quin Tibi has Juridicas Theses dedi-  
carem ; Eo tamen libentius , quo tuum  
auspitiū adeptae hominum sive detra-  
hentium rumores , sive sapientia elato-  
rum fastum non per horrescerent . Tibi  
igitur cum confiderem , oro denique om-  
nium SALUTIS MATER , ut mihi in iis ,  
allisque meorum laborum fructibus ab-  
sis , quos Tuos esse nequeo inficiari , nec  
temporis umquam inficiabor .

M. Tullius Cicerone  
De Re Publica



mobili negotiacionis etiam neip̄. articulus 100

III. Quod quisque populus sibi constituit.

I.

**A**d perficiendum optimum Magistratum duo requiruntur: *Justitia*, & *Jurisprudentia*: *Justitia*, ut velit constanter jus suum cuique reddere, ita ut non eum potentum favor, non propinquorum blanditiae, non avaritia, non ambitio praeceps ab officii sui observatione dimoveant: *Jurisprudentia* vero, ut sciat justum in omnibus causis ab in-justo discernere.

II.

Cum à civili expromatur gentium jus, quod universo generi humano patescat, suaviter placet ita illud definire: *Quod quisque populus sibi constituit.*

III.

Populus Romanus, suffragii jure, Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule) Legem ferebat. Verum etsi scribi, scripto promulgari, & ut cognosceretur, in Tabulis incisa, publicè proponi soleret; nihilocesius essentia Legis in scripturae scrupolositate haud proponitur.

IV.

Quam Populus Legis ferendae habebat faculta-

-ta-

tatem , Princeps Lege Regia Aata , jure meritò privative fuit adsecutus.

V.

Diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur : en consuetudo , cuius vis tanta , ut Leges Civiles imminuere , aut prorsus tollere queat.

VI.

Intellectus censentur inopes , qui errore Triboniani ducti , asserere conantur ; juris scripti originem ab Atheniensibus , non scripti à Lacedaemoniis manare.

VII.

Legalis servitus , quamvis contra conditionem , qua ab initio omnes homines natura gaudent , videatur , Justitiae naturali non adversatur.

VIII.

Ex Matre vero serva conceptus , postea manumissa , partus tempore in servitutem redacta , liber , non servus editus , est in lucem.

IX.

Nihil penitus agit , qui praeter corruptum consilium creditorem decipit , servum manumitendo.

X.

Tam naturali , quam civili adciscitur juri patria potestas ; ejus genitalis feritas ab illo , ab hoc conflatio profluit.

XI.

In solarium orbitatis filios sibi vindicare Romani suescunt , quibus nepotis , vel pronepotis loco , filiis carentibus , id patitur.

Non

Non vesticepitibus adrogatis , dempta **causa** exhaeredatis , praeter bona ab ipsis in patrem praebita , resarciri ab illo quartam Pianam in merito est ; hebetis epithetum sibi vindicant , qui bonorum omnium , & non quartae quartam intendit .

## X I I I.

Oblita libertate in servo , testamento tute re dato directo liber fit .

## X I V.

Tutor statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri ; post tempus , per epistolam , aut per nuntium interposita auctoritas nihil agit .

## X V.

Beneficio divisionis locus praeberi nequit inter eos , qui fide sua cum Tute re contrahunt .

## X V I.

Rerum communium usum universis gentibus confitemur competere , barbarumque semper habitum , quemquam mortalium eo usu prohibere ; jure gentium perpenso .

## X V I I.

Arcifiniis , non limitatis habet in agris locum alluvio .

## X V I I I.

Ad ravim usque disceptarunt Jurisconsultorum gregales Proculeiani , & Sabiniani dum sui qui que Magistri sententiae de specificatione tamquam oraculo religiouse adhaererent ; Nerva & Proculus auctori ; Sabinus & Casius domino materiae concretam speciem addicabant . Medium agmen cum

cum Justiniano perrumpimus; si/ materia ad pristinum posset statum reverti , materiae domino, sin minus , fabro artefactum adiudicamus.

### XIX.

Tignum jungens bona fide , actione de *tigno juncto* , duplum praestare tenetur: qui mala fide , quantum domino interest ; summa jurejurando in item firmata.

### XX.

Tritum theorema adscitorum ad principale accessionis in grafice vim deperdit ; quanquam non Parrasii , sed inferioris sit artificis.

### XXI.

Crebris difficultatum dumbiis obnoxia quaestio erga adquisitionem fructuum ex re aliena bona fide possesa , perceptorum : nos bonae fidei, tituloque justo firmatae possesorem omnium, etiam naturallium dominum autumamus.

### XXII.

*Persicum Gaza* , sive opes asservatae peculari in loco nactae , domino absque segregatione cedunt : in alieno secus.

### XXIII.

Traditionibus non nudis pactis assequimur rerum dominia.

### XXIV.

Longobardi qualiter qualiter tradita re , quamvis detentata , naturali ratione dominium ferri in accipiente amplificantur : verum eos fallit opinio.

### XXV.

Delirantium somnia arbitramur , ab scopo non

á

à materia praedia urbana à rusticis cum exitu juris perpensa , discerni.

XXVI.

Ususfructus aut sartam tectam rei cautionem non à testatore , sed ab haerede procrastinari, abs dubio fertur.

XXVII.

Inconsideratam imbibit Tribonianus sententiam, dum veri ususfructus naturam vestibus denegavit.

XXVIII.

Domino possessionis ususfructu de jure suo cesso , ex formali in causalem incidit : extraneo nihil agitur.

XXIX.

Ad quotidianam indigentiam usuarius , ad compendium usus fructuarius valet apprehendere.

XXX.

Omnis praescriptio legitime facta , tanti est consideranda momenti , ut praescribenti liceat rem ut suam retinere, post quam alienam fuisse apprehenderit.

XXXI.

Coacmentantur tempora nedum testatorem inter & heredem , verum & venditorem inter & emptorem: ( hoc intellige cum grano salis) in Theatro exponendo.

XXXII.

Toto coelo aberrant putantes , simplex donationis pactum vi Justinianae constitutionis parere actionem in rem.

XXXIII.

A sententia te non deducemus, si marito non  
uxori dominium dotis tribuis.

XXXIV.

Minime nostri erunt conciliarii asserentes, ma-  
ritum fundi dotalis dominum alienare posse.

XXXV.

Jus numquani, saepius possessio nobis per pro-  
curatorem in vitis navatur.

XXXVI.

Percrebuit jam diu penitus in Jurisconsultorum  
animis optima haec testamenti definitio: *Suprema  
contestatio in id solemniter facta, ut quem volu-  
mus post mortem nostram haheamus haeredem.*

XXXVII.

Non pauci testamentum, sive generaliter, spe-  
cialiterve circumspectum juris mere civilis esse  
contendunt: horum vero sententia ad criterium  
veritatis appensa, nullius est momenti.

XXXVIII.

A testamento instituto alienum negotium pror-  
sus absens esse debet: reliquas ejus solemnitates  
sciscitanti, ultro dabimus in agone.

XXXIX.

Cuicui testamenti factio facit pasiva satis, ut  
à testimonio non seponatur: nisi Legibus sit in-  
terdictum.

XL.

In testibus habilitas ad minimum putatitia con-  
diti tempore testamenti aspicitur: si quid ergo  
post facto eis contingit, non nocivum est.

Do-

XLI.

Domesticum testimonium in voluntate suprema  
damnatur : unde prono velut alveo fluit , in tes-  
tamento post missionem à filio familias de pecu-  
lio castrensi condito , nec rectè patrem ejus tes-  
tem adhiberi.

XLII.

Valde mordicus Antonius Faber propugnat,  
neque in scriptis testamento facto legatariorum,  
fidei commisariorumque testimonia esse utilia: sed  
non sine labe censetur.

XLIII.

Militibus operam bello dantibus , juris civilis  
formulae principalibus constitutionibus prorroga-  
tae sunt , non ob imperitiae , sed laborum peri-  
culorumque rationem.

XLIV.

Testamentum more paganico , non ritè factum,  
ut vires in procinctu capiat , recenti judicio mu-  
niri placet.

XLV.

Licet assentiente patre filius familias mortis  
causa donare , non testari queit.

XLVI.

Quovis modo inter vivos adventitium extraor-  
dinarium mancipare filio familias permititur: un-  
de Hunnius infert , & testari : inepte tamen.

XLVII.

Dilucidi intervalli tempore testamentum à fu-  
rioso factum vi munitur ; nec superveniente furo-  
re infirmatur : oppositum evenit civi Romano ca-  
pite minuto.

Ina-

XLVIII.

Inane testamentum est absente heredis institutione, vel adsente inepto collata.

XLIX.

In re certa institutus coagcta voluntate testatoris totum consequitur assem, nostrum jus non patitur, eundem extra castra testato & intestato descendere; ab hoc fontis scaturigine profluit, jus acrascendi vetari à testatore haud posse.

L.

Primipilaria substitutionum elementa disturbantur adopinando, per substitutionem hac periodo: *si haeres non erit exaratum*, sui qualitatem eripi.

LI.

Breviloqua substitutione nulla partium commemoratione effecta, easdem videntur, quas in institutione praebitas.

LII.

Titio, & Mevio haeredibus institutis, Mevii Titio substituto, & Titii Sempronio, deficientibus Mevio, & Titio, ad substitutum utraque pars jure substitutionis pertinet.

LIII.

Substitutionis pupillaris scabellum à patria potestate, primoque in familia gradu delabi, nemo nisi qui lucem in meridie negat.

LIV.

Nausocomio nostro hospes inflamatur, qui arbitri sui tenax stupide profert: matrem à substituto pupillari quoad legitimam non excludi.

Edi-

L V.

Edisserto vulgaris substitutionis in casu pupillarem tacitum contineri, dum testatoris voluntas non sit aperta in ad versum, liquet, etiam inter nos viceversa.

L VI.

Fandi copiam parentibus exemplariter substituendi non solis puberibus, verum & impuberibus praestititur.

L VII.

Rescissoria posterioris voluntatis clausula pristina inserta non obest, quominus dempta enunciatione, prior à posteriore jure ordinata aboleatur.

L VIII.

Abrepto in servitutem, vel exilio testatore multato illius testamentum irritatur; si vero remigraverit, & testamentum abs recenti voluntatis explanatione. Verum enim vero si se adrogandum dederit, suique juris debitum naturae persolverit, contrarium evenit.

L IX.

Justas exhaeredationis causas Justinianus conglomerauit, easque in Nov. 115. Cap. 3. ad quatordecim adduxit; nec est cur nobis sint socii, qui ob alias pares vel graviores exhaeredationem despiciunt.

L X.

Matris, maternive avi novo, antiquatoque jure exhaeredationis vi gaudet, praeteritio.

L XI.

Subito post liberos ad inoficiosi querelam pa-

\*\*\*

ren-

rentes, eorum dorso fratres turpi instituta persona, adiscuntur.

LXII.

In demortui fortunas pure vocatus extraneus, testamenti, & mortis; conditionaliter, & conditionis eventus tempore, capax esse oportet.

LXIII.

Tam egregiae utilitatis est inventarium, ut qui ritè eum elaboraverit, ultra vires haereditarias non teneatur.

LXIV.

Concinne definitur legatum: *Donatio quaedam à defuncto relicta ab haerede praestanda*: nec supervacanea aut à sciolo novissima verba adiecta censentur.

LXV.

Rei comercio testatoris, & haeredis, ast non legatarii exemptae legatum valet.

LXVI.

*Jus, quo portio vacans portioni acrebitur occupatae*, est acrescendi: locus impertitur cunctis, tametsi verbis tantum conjunctis.

LXVII.

Propriae legatarii rei infructuosum, dotis à marito uxori, utile est legatum.

LXVIII.

Indultum est Legis Falcidiae beneficium omnibus indiscriminatim haeredibus ea in quantitate, quae deducto aere alieno, mortis tempore fuit testatoris.

Illius

LXIX.

Illius cui codicillandi copia est , coram quinque testibus aperta voluntas testandi animo , nec codicilli habet momentum.

LXX.

A recto tramite deflectunt prudentissimi Vulteius & Theophilus ; dum ille obligationem ingerit primo , hic tertio juris objecto.

LXXI.

Dissidiorum oceanus super crementum , aut decrementum nummorum aestimationis in solutione post contractum facienda , sic sine scabris vadatur ; si monetae interna bonitas mutata sit, contractus ; si imposititius valor , solutionis tempus inspici debet.

LXXII.

Ubi penes unum commodum , penes alterum solum incommodum est , ibi ille culpam levissimam , hic latam praestat ; ubi par utriusque contrahentium commodum , culpam levem sibi invicem praestant.

LXXIII.

Deponens rem pro arbitrio quoque tempore poscere valet , eam depositarius reddens , oficio suo non liberabitur.

LXXIV.

Pignoris contractus in utriusque commodum initur ; in creditoris , quia securus praestatur ; devitoris , quia tanto faciliter invenit pecuniam.

LXXV.

Universis ex contractu obligationibus , imo &  
na-

naturalibus congeritur fideiusio.

LXXVI.

Unius obligationis plures coacervati fideiusores, singuli in solidum tenentur; hujus gravitatis causa multis beneficiis Imperatores affecerunt, quae in palaestra luculenter agemus Minerva.

LXXVII.

Fideiusor obligari nequit in duriorem causam, quam principalis; sed si suo nutu majorem summam, quam quae debetur, promisserit, in partem concurrentem tenetur.

LXXVIII.

Autografo confitentem summam recepisse, quam revera non accepit, nisi intra biennium palindiam cecinerit, haud audiemus.

LXXIX.

Nudo consensu perficitur emptio; nec contrahentium cuilibet vim resiliendi arraharum adscribit datio.

LXXX.

Ad praetii numerationem emptor, rei traditionem venditor nexu obligatur, interesse solvendo extra chorū saltant.

LXXXI.

Essentialia expedit resserare emptionis requisita, praetium nempe, quibus incedat rebus, & in quem conferatur; horum ergo omnium medullam dabimus roganti.

LXXXII.

Ad unguem facta venditio, nondum dedita re, omne commodum, omneque hujus periculum ad emptorem pertinet. In

LXXXIII.

In hoc locationis merces cardine vertitur, ut in numerata sistat pecunia.

LXXXIV.

Emphiteuseos contractum nec emptionis, nec locationis, sed proprii naturam decernere, cum Zeno ferimus.

LXXXV.

Ictum societatis sit foedus, ut lucri ad unum duae partes spectent, damni tertia; ad alterum rota versa: ( quiritet Quintus Mucius,) fixum est.

LXXXVI.

Ex sociis utriuslibet renuntiatione, consocio reclamante, conficitur societas; licet sit in perpetuum coita.

LXXXVII.

Leges mandati tutari vadantur: Quid mandatarii fines profundis? An aliqua tibi subveniatur actione quoad suppetitum? nec mandati, nec negotiorum gestorum.

LXXXVIII.

Minima vera conventio in quasi contractu est, unde ex dicta deducitur actio.

LXXXIX.

Negotiorum gestor debet utiliter gerere: & cum ex animo officio se offerat, diligentissimam pollicetur culpam.

X C.

Per errorem facti indebitum solutum, condicuntur; per errorem juris, si nulla subest naturalis obligatio.

\*\*\*

Cre-

Creditore reluctantante , aliud pro alio nec pars pro debito solvi potest ; namque ad justam solutionem ut totum , quod debetur , simul ac semel solvatur , necessum est.

XCII.

Resentissimo jure non aliter prioris obligationis novatio fit , quam si animo pristinam tolendi , posterior addatur.

XCIII.

Legis naturae consiliis furtum occurrit ; ab ejus vero criminе longe , lateque abest , qui urgente fame esculenta aufert , ut inediae succurrat.

XCIV.

Poena taliter , qualiter crimen : & Hinc fursum interdum caedes justitiae attributrici erit incongrua ? dum sic moliris , errare opinamur.

XCV.

Omnibus , quorum interest rem salvam fore , furti competit actio.

XCVI.

Jus quo persequimur , quod nobis debetur , gentium esse tuemur.

XCVII.

Qualibet actione experiri foro in comuni quisque potest.

XCVIII.

Proprium forum à singulis tribuitur causis , in condictionibus contractu , in vindicationibus rei sitae , & domicilii loco.

Nullum est judicium absentibus proximè recensitis, Actore, reo competenteque Judice.

C.

Realis in libello proxima, personalis actionis remota causa prodi prodest.

CI.

Personam nexū obligatam non transgreditur conductio; at vindicatur res à quocumque posse-sore.

CII.

Per omnium aures & ora pervulgatum est, duplarem ad vindicandas incorporales res competere actionem, confessoriam, & negatoriam; hanc si aetor in judicis deducat; à probationis munere immunis manet.

CIII.

Verum rei dominum publiciana uti posse, nihil pensihabemus, quin publicè committamus.

CIV.

Publicianam dari adversus titulo posidentem, aegre ferimus.

CV.

Actio, quae creditoribus ad rescindendam alienationem in eorum fraudem factam datur, in personalium nequaquam, realium numero recensetur.

CVI.

Inscio domino invecta, & illata in urbanum praedium, ut jugiter ibi perstent opignorata sunt; numquam non illi rusticum obstat.

Me-

CVII.

Merè civile debitum *constitutae pecuniae* actione experiri, nefas est.

CVIII.

In novercale furum odium receptum est, rem ab iis condicere.

CVIX.

Dolus causam praebens bonae fidei contractui, ipso jure nullum reddit; si in eo inciderit, vel stricti juris sit, minimè irritatur.

CX.

Pro repetenda dote prodita est soluto matrimonio uxori *ex stipulatu actio*; haecque acriter se defendit ab oposita creditorum sive tacitam, sive expressam hypothecam anteriorem habentium.

CXI.

Honos matrimonialis efficit, ut non semper in solidum ob beneficium *competentiae* damnetur maritus.

CXII.

Actione de *peculio* impetus pater ultra illius vires, suo deducto debito, eorumve ejus ditionis, non tenetur.

CXIII.

*Uti posidetis* Interdictum *commodatarii*, *conductoris*, *caeterorumque legitimorum detentorum* causam recusat.

CXIV.

Praedoni, Interdictum *unde vi* in dominum spoliantem non denegatur.

Op-

Oppido inter se dimicavere Jurisconsulti : alii omni in lite , Judici vim statuendi secundum alegata , & probata etiam contra propiam scientiam tribuentes ; alii omnino abnegantes ; clementiori adhaeremus sententiae. Secundum alegata, & probata adversus privatam scientiam omnibus in civilibus , & criminalibus minoribus judiciis licetè fertur sententia : in quibus de mutilationis vitaevē poena agitur sua recte judicatur conscientia.

En tibi Benevole Lector totius pervigilii nostri ratio cursim exposita. Tuum nunc est eum nigro, albove notare lapillo. Illos tamen nihil moramur, qui aut turpi marcescunt otio ; aut ea damnant, quae penitus ignorant : aut qui lucubrantes nihil rectum putant , ni quod ipsi faciant. VALE.

*Vt. Dr. D. Marianus de Perèa.*

Univ. Rect.

*Vt. Dr. Orihuela.*

Cen. Reg.



\* \* \* \* \*

Mr. : Binhay ang pagtakbo ng isang oblong  
o rectangular na may ilaw na mi lang  
mula sa gitna. Ito ay nandarag sa pag-a  
lakad sa pag-aabot ng mga tao. Marami  
sa ilang gobyerno na nandarag ang  
gobyerno ng ilang gobyerno. Ang  
gobyerno ng ilang gobyerno ay  
nandarag sa pag-aabot ng  
gobyerno ng ilang gobyerno.

A. S. B. A. N. G. A. N.  
J. C. H. J. C. H.

A. S. B. A. N. G. A. N.  
J. C. H. J. C. H.



